



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Angelus tutelarior Ioannis alijs quoque præstò est eius nomine inuocatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

bonitate, eum filij instar amabat, neque lacrymis temperare poterat, quoties mentio eius incidisset.

*Angelus
tutelaris
Ioannis
alijs quoq;
praesto est
eius nomi-
ne inuoca-
tus.*

Rem de eo narrat, quâ intelligi possit, Ioannem, ut erat Angelicis moribus, ita suum quoque Angelum habuisse quasi in potestate, promptumque ad obsequendum. Is etenim, etsi ab alijs Ioannis nomine inuocatus, praesentibus periculis eos videtur asseruisse. Ibat cum Ioanne suus herus ad visendam Aspricollensem Virginem, circa Pentecostes festum. In reditu, quod iter Arschothum versus ignorarent, viae ducem unum, deinde alterum, utrumque desertorem, malè expenso stipendio elegere. Ergo errabundi per silvas ibant incerti viarum, quas latrones recentibus insidijs caedibusque habuerant infestas. Simul subita tempestas fulmine tonitruque concitata, aberrantes consternabat. Cum sic horas aliquot vagi per nemus errassent, tandemque in tramitem tam angustum descendissent, ut vix equo singulari transitus pareretur; percussus Canonicus desilit ad pedes, subleuatoque in equum Ioanne, eum subsequitur pedes. Ut autem periculorum anxietas flagrantissimas laborantibus subministrat preces, Canonico in mentem venit, salutem suam tutelari Ioannis Angelo commendare, quod plus apud Deum posse preces illius crederet,

deret, quem Angeli vice ipse suspiciebat. Res ^{Horrenda tempestas cum insolito spectro.} mira, vix preces fuderat, cum horrendum insonuit tonitru, fragore tanto, vt ruere cælum videretur; ac tum ille vibrati fulminis iactum pertimescens, oculos attollens cælo, Deum scilicet propitiabat; cum ecce videt præcipiti rupe deuolui rusticam feminam: quæ mox specie felis circumuoluebatur pedibus Ioannis, inconditoque corporis motu atque ardentibus oculis eum contrà intuita, vociferans, collumque contorquens, subito euasit in fugam. Tum repente commutatâ tempestate, serenantiq; luce, summæ se turris apex, quò tendebant, ostendit. Huc vbi peruenere, intelligunt maleficam haud ita longè ^{Malefica incantamenta.} habitare, quæ magicis incantationibus tantam potuerit concitasse tempestatem: quo audito, Canonicus persuasum habuit, veneficam illam ab Angelo Ioannis custode (cuius ipse præsidium implorarat) ita ad eius pedes fuisse deiectam, vt nimirum appareret, tam sæuæ periculum tempestatis Ioannis præcipuè fuisse meritis depulsum.

Iam virtus Ioannis in eam perfectionem adoleuerat, vt gratior indies diuinis oculis arderet, & cælesti quoque Maiestati placeret ^{A Deo ad religiosam vitam inuitatur.} prouidere, ne formosum adeò lilium inter pungentes sæculi spinas languendo emoreretur, sed in Religionis paradisum depangendum

B dum